Quaestio medica Quodlibetariis disput. agit.da in Scholis Medicorum die martis 4a Decemb.

M. Nicolao Marchant D. M. Moderatore sapientissimo.

Estne foetus Matri, quam Patri similior?

Ut hominis corpus ex quatuor simplicium elementorum confusione mutuam eorumdemque contrariis qualitatibus justa proportione permixtis temperiem perfectissimam sortitum, non modo partium varietatem admirabilem ac structuram prae caeteris animantibus pulcherrimam, sed et formam omnium praestantissimam aliunde quam ex primordiorum seminisque substantia oriundam obtinuit. Ita etiam functiones multiplices ab unica simplicissimaque anima pluribus facultatibus instructa consequutum est. Harum proprias sedes tribus principibus partibus mutuo consensu vitam conservantibus statu, loco, et figura distinctis assignantur, quas in propriis canalibus in universum corpus dispersis, rivos sibi insitos diffundunt. Jecur siquidem per venas toti corpori nutritionem, cor per arteriarum ductus spiritum vitalem, cerebrum per nervorum propagines sensus (quorum unicus ad vitam animantium ipsius necessarius existit) atque motum confert.

Facultates illas et seminis mole ab utriusque parentis sanguine in singulis partibus elaborato, humorumque elementorum communi mixtione et qualitatibus proportione respondentes continente derivatas haud simul omnes ambiguum. Nec enim modo conditum semen animal dixeris, antequam sentiat, nec tum proprie hominem donec anima quae grata conditum est, divinitus infusam accedere. Naturalis itaque facultas quae stirpes sola moderatur, prolifico semini radicitus inhaerescens (cum vitalis et animalis nonnisi multis praecurrentibus praeparationibus in actum erumpentes potestate duntaxat inesse dicantur) illud a primo ortu ad supremum vitae diem numquam deserit, licet eius partes non uno eodemque tempore teneant principatum.

In omnibus enim quae ex sanguine conflantur procreatrix primo suos effectus producit. Ea uteri muliebrium partium imbecillimi, non tam calore quam peculiari ac ingenita virtute suscitata, comprehensam genituram (facile autem et celerrime a menstrua purgatione concipitur) ad novam producendam statim partes seminis quod homogeneum esse, quamquam simplex appareat, minime credendum est, vario discrimine secernit, unumquodque ad sui, densum ad densum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, eoque modo tenuior ac calidior illius statim spiritus naturam assumunt in medium colligitur; crassior ac terrena magis ad exteriora propellitur, ex qua tum solidas partes, tum membranas foetum involventes, eundemque excipientes, et rudimenta venulis et arteriis ad numerum anfractuum uteri conspersas proferuntur.

Hae primis diebus ab alteratrice perficiuntur, cui conformatrix subsidio veniens, ac spiritus ministerio articulationem aggressa tres bullas quasi guttas pellucidas principum partium prima rudimenta, ac inter ipsas hepar conficiendi sanguinis futuram officinam ex materno sanguine ab osculis venarum quibus foetus cotyledonibus ipsis committitur per medium umbilicum illapso conditoque primum effingit. Inde venas duas maximas, alteram alimenti ab intestinis rapiendi, alteram eiusdem confecti ac repurgati distribuendi cavam dictam, dividit, exarat, insignioribus ramis arteriarum et nervorum sedes cum tandem adiungens caeteris partibus suam figuram, magnitudinem, connexionem, et situm propriis sedibus idoneum constituit, maribus quidem dextris et pluribus genitis, et conceptis breviori tempore quam foeminis, quamvis has ubi lucem aspexerint, citius pubescant, adolescant, et consenescant.

Partibus omnibus ita expressis ac distinctis, et si quas vires illa ante conformavit omnino non interierint, reliquas facultatis naturalis partes sese ostentant, altrix videlicet et auctrix. Haec animali iustam magnitudinem adepto ab opere cessat. Illa in eodem vitam perseverat. Haec affluxu communicantis materiae partes omnes quoquoversum porrigit; illa omnium statim familiari beneficio attrahentis, retinentis, concoquentis et expellentis conficit alimentum maximas vires non modo ad id restaurandum quod effluxit, verum etiam ad immutanda corpora obtinens. Hoc foetui suggerit menstrui sanguinis purissima portio sensim toto tempore gestationis influens, quae non solum speciem maternam in foetu semper imprimit, sed et cum semine muliebri vires suas conferens, id virili plerumque reddit potentius, unde et foetus matri persaepe similis, et reliquas eius notas vultu et moribus exprimere solet.

Ergo foetus Matri quam Patri similior.

Afferebat Joannes de Gorgette Lutetianus. 1576.

D. D. Disputaturi.

M. Bonaventura Granger.	M. Claudius Bazin.	M. Nicolaus de Cormeilles.
M. Joannes Martin.	M. Joannes Vamy.	M. Guillelmus Robineau.
M. Andreas du Breuil.	M. Gentianus Blenod.	M. Ludovicus Duret Pr. reg.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE